QUÆSTIO MEDICA
EAQUE THERAPEUTICA,

PROPOSITA

AB ILLUSTRISSIMO VIRO D. D.

PETRO RIDEUX


Regis Consiliario & Medico, nec-non in almâ Monspeliensium Medicorum Academiâ Professore Regio dignissimo.

SUB HAC VERBORUM SERIE

An Dysenteriæ Narcotica.

Quam Deo favente, & auspice Dei-parâ propugnabit in Augustissimo Monspeliensis Apollinis Fano, die   mensis Maii 1715. ab horâ octavâ ad meridianam, PETRUS LACHAU Argentacensis Vice-Comitatus Turrenensis, Artium Liberalium Magister, & jamdudùm Medicinæ Studiosus.

Pro primâ Apollinari Laurea Consequendâ.



MONSPELII,
Apud HONORATUM PECH, Regis, Universitatis, Cleri & Urbis Typographum.

M. DCC. XV.

DISPUTATURI.

PROFESSORES REGII,


R. D. Franciscus Chicoyneau, *Cancellarius.*
R. D. Joannes Bezac, *Decanus.*
R. D. Petrus Chirac.
R. D. Petrus Magnol.
R. D. Antonius Deidier.
R. D. Antonius Magnol, *Patris Coadjutor.*
R. D. Jacobus Chastelain.

DOCTORES AGGREGATI,

R. D. Joannes-Henricus Haguenot.
R. D. Henricus Haguenot, *Patris Coadjut.*

DOCTORES ORDINARII,

M. Eustachius Marcot.
M. Jacobus Lazerme.
M. Antonius Fizes.
M. Franciscus-Germanus Prevost.
M. Claudius Ludovicus Perrand.
M. Thomas Martin.
M. Antonius Menar.
M. Guillelmus Rey.
M. Moyses Rey.



QUÆSTIO MEDICA.

An Dysenteriæ Narcotica.

DYſenteria à parte affectâ inteſtinis ſcilicet nomen habet, & quidem generale hoc nomen eſt, nihilque aliud per ſe quam inteſtinorum difficultatem ſignificat, & hoc modo pluribus affectibus, in quibus inteſtina torquentur & affliguntur tribui poſſet, uſus tamen invaluit, ut accipiatur pro dejectione alvi frequenti & cruentâ dolore ventris ſeu torminibus ſtipatâ, ſe prodit crebro alvi fluore, cum gravi doloris ſenſu & moleſtâ cupiditate deſidendi, ſæpe in initio magna bilis copia excernitur, aut nihil penè niſi mucoſum quiddam pingue viſcidum, mox pars ſeroſa ſequitur, tum rumpuntur venulæ & cruor manat: Continui dolores nec diu nec noctu quieti tempus relinquunt, variè ſe jactat æger, ſuique impatiens, cibos fere omnes hauſtuſque reſpuit, diris hujuſmodi ſymptomatis accedunt anxietas, ventris inflatio, ſitis ardens, ructus importunus, nauſea inutilis, non procedit Dyſenteria ſine febre, quæ licet primis temporibus ſatis obſcura, ſenſim tamen emicat & invaleſcit, perſeverante morbo creſcit omnium ſymptomatum vigor, vires magnoperè proſtrantur, tumorque œdematoſus, pedes, manus, faciemque defædat, cæteris partibus veluti marcore conſumptis, dejectiones

fiunt variegatæ, virides, loturæ carnium non absimiles, & sæpe purulentæ, Dysentericus ad extremum usque spiritum mentis compos permanet, dum tetra hæc lues per alvi regionem grassatur; hic affectus in castris multum familiaris plerumque Epidemicus Autumno & Æstate sæpius, Hyeme & Vere rariùs in juvenes maximè, nonnunquam tamen in senes etiam grassatur.

Plures decepti specie veri, veterumque opinionem nimis sectantes, Dysenteriam esse intestinorum exulcerationem contendunt, pus & pinguedinem excerni putant, dum tamen excernuntur humores qui calore immutati albescunt, viscidi fiunt, factâque sanguinis mixtione vertuntur in mucum sanguinolentum, nam sicuti bronchialis humor vertitur ab inflammato pulmone in sputa crassa, viscida, alba, flava, sanguinea, ita & intestinalis humor ab inflammatis intestinis vertitur in mucum crassum, viscidum, album & sanguinolentum, idem patitur intestinum in Dysenteria ac pulmo in Peripneumonia, singulæ illæ partes præternaturam calent, dolent, irritantur ad frequentes contractiones, & sæpe pluries contrahuntur ad exiguam humorum excretionem, quia inflammantur. Certum igitur ratumque sit Dysenteriam produci ab intestinorum inflammatione non verò exulceratione, quæ Dysenteriæ tantùm inveteratæ adjungitur ut ex apertione Cadaverum manifestum est, quâ affectas partes, non molles, non corruptas, non exulceratas, sed integras & impensè rubentes repertas fuisse constat.

Fistula intestinalis ubique membranacea divisa

in ſex veluti partes quibus inteſtinorum numerus completur, ductum continuum à piloro uſque ad anum conſtituens, inflammationi non minus obnoxia eſt quam cæteræ corporis membranæ, illius autem parte notabili inflammatâ, promptior validiorque fit totius canalis contractio, quia materiæ excrementitiæ promptius ad anum pelluntur, quoniam enim humores huc confluentes partem inflammatam citra dolorem ſtimulare nequeunt, neceſſe eſt ut liquidum ſpirituoſum ad villos contractiles cæterarum ductus inteſtinalis partium, celerius, uberiuſque à cerebro avocetur, quo citior validiorque motus inteſtinorum periſtalticus perficitur, præterea cum pars eo ſenſus exquiſitioris ſit, quo major eſt vaſorum componentium tenſio, nec ſtimulus parti inteſtinorum inflammatæ applicatus concipi poteſt, quin ſenſus oriatur doloris, dolore igitur torquebitur æger, ubi primum humores inteſtinorum cavitatem perluſtrantes ad partem inflammatam pervenient, quoniam verò humores illi in Dyſenteriâ à ſtatu naturali recedunt, major etiam eis eſt ad ſtimulandum aptitudo, hinc Dyſenteriam dolor gravior comitatur, quo inflammata inteſtini portio excruciata frequentes atque validas contractiones edit, quibus ſtimulum ultra pellere conatur, quas tamen arteriæ venulæque capillares ſanguine æſtuante nimis turgidæ haud valent repetere ſalvâ continui integritate, quapropter perſeverante ſtimulo, & repetitis villorum partis inflammatæ contractionibus, ſolvitur vaſorum ſanguiferorum continuitas, in inteſtinorum cavitatem cruor erumpit, & dejectio cruenta efficitur, ex va-

forum apertorum numero, amplitudineque parcior aut uberior effusio sanguinis repetatur, fœtor verò ex humorum cum sanguine exeuntium putredine. Sæpe verò sæpius redit molesta desidendi cupiditas, quia dolore inflammationem comitante totus intestinorum canalis ad citatiores contractiones dispositus, citius etiam humores contentos in sua cavitate trudit, qui sæpe sæpiusque partem inflammatam attingunt. Nausea, ructus, cibi fastidium, inappetentia & vomitus quæ fluxum dysentericum comitantur, saburram in ventriculo congestam supponunt, à quâ Dysenteria non rarò producitur, aut quam ipsa semper producit, etenim cum ventriculi & intestinorum eadem sit in chylificatione officii societas, verosimile est labem tantam intestinis inferri non posse salvo & integro manente ventriculi officio.

Quandoquidem dolor gravis intestinorum inflammationem consequitur, sine febre procedere, id est sua tempora percurrere nequit Dysenteria, quia à dolore agitati & uberius ad sanguinem confluentes spiritus animales, aut vitiosus quidam succus intus antea latens in actum deductus, febrilem fermentationem In sanguine parere possunt, ex eodem capite deducuntur anxietates, vigiliæ, calor atque sitis, quia dolore serum sanguinis dissipatur, stimulusque sanguinis motui additur, & quoniam repetitis vicibus tormina ventris frequenter recrudescunt præternaturaliter succussi nervi somnum ab oculis ægrotantis pellunt, & anxietates non leves producunt, quibus vires paulatim evanescunt, & novus veluti vigor inflammationi additur, quia sanguis uberius

citiusque truditur ad partem inflammatam quo major vasorum turgescentia majorque infarctus producitur, sicque serpit inflammatio pluresque intestinorum partes inficit, crescunt & tormina, dejectiones fiunt frequentiores, & tandem effuso sanguine in intestinorum substantiâ fœtidum ulcus inflammationi succedit, ex quo pus in intestinorum cavum delapsum cum alvinis fæcibus per anum rejicitur, sæpe tamen fit ut humor intestinalis à calore inflammationem consequente in mucum viscidum, albumque conversus, puris naturam æmulans Medicos decipiat.

Facto intestinorum ulcere purulentæ partes sanguini permiscentur à quibus febris lenta, marcor, viriumque consumptio ingravescunt, sanguinis textura solvitur, partesque ejus volatiles dissipantur, hinc minor vasorum tonus, hinc difficilior humorum circuitus in extremitatibus præsertim, hinc humorum hærentia, & tumor ædematosus adnascitur, qui partes à corde remotiores facilius afficit dum cæteræ siccitate & marcore consumuntur. Verum hæc omnia ab inflammatione procedere non tantum ratio suadet, sed etiam experientia demonstrat, aperta enim Dysenteriâ defunctorum Cadavera(modo longior non fuerit ipsius duratio) nihil præter inflammationem in intestinis exhibent, pars enim inflammatione correpta inflata & innumeris vasis undequaque sanguine turgentibus rubra percipitur: Ex hoc aliquis objicere posset Dysenteriam ab inflammatione non pendere, quia aut in omni inflammatione non extravasatur sanguis, vel si extra vasa effundatur, in propria intestinorum substantia con-

rineri potest, sed duo sunt absolutè necessaria ad fluxum dysentericum constituendum, tormina scilicet & sanguinis dejectio; ergo quoniam ab inflammatione tormina tantum non sanguinis dejectio deduci possint, patet Dysenteriam inflammationi non esse tribuendam. Respondeo sanguinis dejectionem inflammationem intestinorum duplici de causa consequi, primò propter innumeram arteriarum venarumque intestina perreptantium copiam; Secundò, propter continuas contractiones ad quas humores stimulantes & continuò huc confluentes partem inflammatam determinant, cum enim contractio nulla fieri potest, quin sanguis è vasis contractis exprimatur, neque ipse exprimi possit nisi facilem exitum ex arteriis in venas reperiat qui in parte inflammata ipsi denegatur, necesse est ut sanguis vasorum contractioni resistens, tantùm resiliat in ipsa quantùm ab ipsis premitur, verum pressiones illæ singulis momentis augentur, quia pars inflammata frequenter ad contractionem irritatur: Ergo necesse est ut venulæ aut arteriæ capillares vel utræque simul rumpantur, & sanguinem in intestinorum cavum effundant, & hæc est ratio cur tormina semper præcedant sanguinis dejectionem, prius enim est fieri inflammationem quàm aperiri vasa partis inflammatæ, nec tamen negabo ita leviter aliquando inflammari posse intestina, ut fluxus non fiat dysentericus, quod à defectu stimuli inflammatam partem irritantis deduci poterit, aut quia ita levis sanguinis circuitui fit obex ut exiguissima ejus portio solummodo in intestinis hæreat. Verùm ex hoc non negetur gravem intestinorum inflam-

mationem

mationem absque Dysenteria reperiri posse, quia gravis inflammatio magnam sanguinis hærentiam supponit, quæ sine vasorum ruptione fieri non potest.

Dysenteria epidemicè nonnunquam grassatur, & ab aëris aut alimentorum vitio procedere creditur, hæc enim miasmatis inquinata intestina afficere valentibus, partem illam præ cæteris afficiunt, sanguinis circuitum dupliciter sistendo, irritando videlicet, vel glandulas ductusque capillares quibus intestina componuntur obstruendo, unde magna oritur vasorum sanguiferorum adjacentium compressio, cæteræ causæ pari modo fluxum dysentericum pariunt, sive internæ seu externæ annumerentur: Ergo causæ omnes Dysenteriam producentes ob agendi modum ad duo genera commodè reduci possunt, irritantium videlicet, & glandulas intestinorum obstruentium, hanc causarum divisionem usitata Medicorum praxis confirmare videtur, qui Dysenteriam prout à variâ causâ procedit, in calidam & frigidam distinguentes diversa etiam methodo sanant; calida hæc dicitur quæ à causa irritante, frigida quæ ab obstruente ortum trahit, quia major calor irritationem quàm obstructionem consequitur, hinc cum diverso febris calorisque gradu, variaque symptomatum catervâ dysentericus fluxus procedit; hinc diversa medendi huic affectui necessitas.

Intestinorum inflammationem irritando pariunt, bilis exaltata & nimis mordax, ut vitellina, porracea, æruginosa, succus pancreaticus salsior, emetica aut purgantia validiora interius propinata, venena assumpta, quæ omnia dum per canalem in-

testinorum provolvuntur ipsorum tunicas potenter irritare apta sunt, cum enim sales quam plurimos contineant adeo potenter stimulant intestina, ut liquidum spirituosum ad villos illorum contractiles à cerebro hac irritatione copiosè avocatum, validè coarctet vasa sanguifera per tunicas ductus intestinalis dispersa, & liberum præpediat sanguinis ex intestinis exitum, & quoniam tunc arteriæ meseraicæ sanguinem ad intestina trudere non cessant? Quid mirum si perseverante aut frequentius recurrente irritatione sanguis in intestinis hærere cogatur, & hærendo ea inflammet: Idem accidit si materiæ glareosæ in cavitate intestinorum genitæ, aut huc è ventriculo delatæ salibus mordacibus refertæ intestinis agglutinentur & potenter irritent. Similiter dum succus lymphaticus in intestinis secretus salsedinis & actimoniæ particeps fit, inde irritatio intestinorum fiat oportet, nimio enim sensu interna intestinorum membrana gaudet, quàm ut humores mordaces aliquandiu intra se absque molestia continere valeat: succum verò intestinalem acriorem efficiunt salium in massa sanguinis redundantia & in glandulis intestinorum præcipitatio, ut in curatione luis venereæ observatur, retenta insensibilis transpiratio, urina, fluxus menstruus, vel hæmorroidalis suppressa. Ad contrahendam inflammationem intestina disponunt alimenta salsa, acria, piperata, exercitia immodica, vigiliæ, animi pathemata vehementiora, febris ipsa, quatenus humores ad intestina confluentes, mordaces & salsos reddere possunt, vel quia sanguinem exagitando infarctum in

inteſtinis levi etiam dato obice efficere valent, nam quo ſanguis celerius per vaſa rapitur, eo citius uberiuſque in parte ubi obicem reperit accumulatur.

Ex obſtructione glandularum aut ductuum capillarium naſcitur adhuc inteſtinorum inflammatio, quia inducta vaſis adjacentibus compreſſione præpeditur ſanguinis circuitus; ergo neceſſe eſt ut qualibet arteriarum pulſatione, quidpiam ſanguinis detineatur, ſed quoniam arteriæ indeſinenter oſcillant, ſanguis etiam indeſinenter in parte obſtructa accumulatur, quo vaſa prætermodum repleta inflammantur, huic humorum infarctui eo facilius ſuccedit inteſtinorum inflammatio, quo obſtruentes humores acrimoniæ cujuſdam participes, vaſa in quibus detinentur ad irritandum capaces ſunt, creſcit enim infarctus quo via ſanguinis anguſtior fit, & ideo ſcorbutici, cæterique quorum maſſa ſanguinis ſalſuginoſa multum eſt ſimul & viſcida, Dyſenteriâ facilè corripiuntur. Memoratam obſtructionem ſolent inducere alimenta craſſa & acidis referta humores inſpiſſantia, ut fructus immaturi, auſteri, vinum vapidum, herbæ crudæ ſale conditæ, melonum glacie refrigeratorum uſus, lacticinia, aquæ corruptæ, paluſtres, lacuſtres & quas aura liberior nunquam verberat, niveales, aut glacie vel nive refrigeratæ (potiſſimum ſi corpore calente poſt exercitium aut aſſumptum medicamen purgans epotentur) accedunt carnes, piſces, aliaque corrupta quæ comeduntur difficillimis temporibus & miſerabili ciborum penuriâ, hinc Dyſenteria ab obſtructione in caſtris inter milites vul-

gò grassatur, sic fructus quidam ut mala persica in aliquibus regionibus Dysenteriam comedentibus afferunt. Hanc quoque glandularum obstructionem corrupti succi intra corpus latentes & ad intestina confluentes crassitie sua producunt, sic fluxui hæmorroidali supresso succedit aliquando Dysenteria.

Diagnosis. Tormina cum frequenti & cruentâ dejectione fluxum dysentericum constituunt, & à quolibet alio facilè distingunt, non laborat Dysenteriâ qui sanguinem sine dolore dejicit, sed fluxu hepatico; dolente tantùm podice tenesmus adest, & hunc comitatur inutilis dejiciendi conatus. In fluxu hæmorroidali sanguis fæces antecedit vel sequitur, in Dysenteriâ verò conqueritur patiens de dolore ventris, torquetur torminibus in umbilicali præsertim regione vagantibus, vel in colo circulatim savientibus. Fæces sunt præternaturam liquidæ, & sanguis eis est exquisitè permistus. In fluxu hepatico, tenesmo, hæmorroidibus excrementa naturalem ut plurimum obtinent consistentiam, quæ verò intestina doleant his distinguere poteris; affectis gracilibus intestinis dejectiones longius à dolore profunduntur, & dolor circa umbilicum præsertim vagatur, crassis verò dejectiones dolorem proximè sequuntur, & iste circulatim in abdomine sævit. Ut dignoscas quæ fuerit procathartica morbi causa, diligenter perpende quæ Dysenteriam præcesserunt & comitantur, ægri temperiem, victus rationem, regionem, & anni tempestatem quoque considera, ex his debitè perpensis quæ causa Dysenteriæ fuerit facilè

inferes, & ad morbi curationem rectè te accinges.

Prognosis. Intestinorum inflammatio serpit facilè à parte in partem, crescit cum frequenti dejectione & singulis diebus ad partes vicinas extenditur, hinc incipiente Dysenteriâ mitia apparent symptomata quæ procedente morbo admodum sæviunt, plerumque resolutione, rarò suppuratione terminatur, ni affectus gravior & diuturnior fuerit, nam sicuti pulmonum inflammatio resolutione sæpè sæpius suppuratione vero rarò terminatur ita & Dysenteria. Hic affectus sanatu difficilis est, & inveteratus vertitur in abcessum vel ulcus intestinorum, ejus eventus dubius semper atque periculosus, diversè tamen statuitur ratione causarum & symptomatum. Dysenteria quæ ab humoribus acribus producitur, maximè periculosa est imprimis si in corpore cachochymico aut male constituto fiat, citò tamen fugatur modo massa humorum à naturali suo statu nullatenus aut parum recesserit, si pertinax fiat & diuturna, febrem, anxietates, ventris inflationem, sitim, oris siccitatem, vigilias, virium prostrationem & insignem marcorem producit, quæ ab obstructione glandularum efficitur quanquam lentius procedere soleat, attamen non minoris est periculi, hæc sæpe in ulcus fætidum intestinorum convertitur & lienteriam parit, aut fluxum cæliacum. Quò frequentiores magisque sanguinolentæ fiunt dejectiones cum dolore atrocissimo, eò gravior pronunciatur Dysenteria, summus dejectionum fætor & variegatus color maximam intestinorum labem significant, ingens virium resolutio, maximum cibi

faſtidium, vigiliæ indeſinentes, marcor & conſumptio partium, ventris inflatio lœthalem Dyſenteriam efficiunt. Fluxus dyſentericus in tenuibus inteſtinis periculoſior quàm in craſſis, quia tenuia ſubtilioris ſunt contexturæ, & exquiſitioris ſenſus magiſque chylificationis miniſtra quàm craſſa. Dyſenteria ſuperveniens viribus à gravi morbo fractis læthalis eſt, ut quæ ſupervenit febribus malignis atque variolis Convulſio ac delirium in Dyſenteria mortem portendunt; ſenes & pueri hoc morbo ſæpius pereunt quàm adulti, quia in iis vires citius conſumuntur.

Curatio. Hæc duo in curatione Dyſenteriæ agenda ſtatim ſe offerunt; pacanda ſunt tormina, & ſanguis cohibendus, quæ feliciter perficientur, dummodo inflammatio à quâ procedunt tollatur, in eo enim poſitus eſt totus curationis ſcopus ut ſanguis in inteſtinorum ſubſtantiâ præter naturam hærens reſorbeatur (nec tamen neglectis quæ à viribus aut doloris vehementia indicari poſſunt) verum ut illud obtineri poſſit, cauſa inflammationis opportunè debellanda; quapropter diæta convenienti præſcriptâ, miſſo ſanguine ſufficienter, injectis Clyſteribus anodinis & detergentibus, pacatis narcotico torminibus, attende an ſaburra ventriculi morbum foveat, incipienda enim eſſet curatio à vomitu præmiſſis premittendis, ſecus in pejus morbus rueret, vireſque quotidie acquireret; quoniam verò ſuperius dictum eſt humores irritantes vel obſtruenres Dyſenteriam efficere, ideo diverſa ſit methodus curandi, aliter enim ſanandus eſt hic affectus dum ab humoribus acri-

bus, aliter à viſcidis & obſtruentibus productus: In primo caſu Diœta ſit, refrigerans, humectans & incraſſans, Cremores oryzæ & hordei ſæpius in die exhibendi, paretur Ptyſana cum Radice Symphiti majoris, Hordeo, Liquiritia, Semine Lini, Floribus Malvæ, & aliorum hujuſce generis, frequentes injiciantur Clyſteres, cum Decocto Hordei, Lacte Vaccino vel Caprillo, Oleo Amygdalarum dulcium ſine igne parato, Ovorum Vitellis, Mucilagine Seminis Cydoniorum & Pſyllii jure pulli aut inteſtinorum vervecum in quo Folia Verbaſci & Flores Malvæ leviter bullierint, Emulſiones horâ ſomni cum Syrupis refrigerantibus & narcotico exhibeantur. Purgantia ſint mitia & virtute aſtringendi quadam donata, ut Rhabarbarum, Mirobalani, Raponticum, Tamarindi, Manna aliaque hujuſcemodi ex quibus decocta aut pulveres ad libitum parentur. Abſorbentia demùm in uſum vocanda, ut Corallum præparatum, Oculi cancrorum fluviatilium, Margaritæ præparatæ, Rheum torrefactum, ex quibus cum Conſervis Cydoniorum, Roſarum, & Symphiti majoris diverſas conficies Opiatas, quibus Laudanum admiſcendum: ab Emeticis & fortibus Purgantibus te abſtine, ne iis humores veluti effrenati acerbiores inducant parti inflammatæ dolores. Dum ulcus inflammationi ſupervenit, Therebentina in Ovi Vitello ſoluta per anum injiciatur, Lactiſque uſus cæteris præſtat Remediis. Cum humores viſcidi glandulas inteſtinorum obſtruendo Dyſenteriam efficiunt, Purgantia ſæpius repetenda, & Radix Braſilienſis Ipecacuanha dicta quater aut

quinquies alternis diebus à ſcrupulo uno ad dracham ſemiſſem, vel ſcrupula duo præſcribenda, præmiſſis præmittendis & Laudanum Opiatum doſi Convenienti horâ ſomni exhibendum Vinum tepidum per anum injectum non nunquam tunc prodeſt, Syrupus de Chycorco compoſitus cum Rheo, cui Rhabarbarum pulveratum adhuc additur, plures ſanavit Dyſentericos. Opiatæ abſorbentes & aſtringentes feliciter adhibentur, ſic Sanguis Draconis, Maſtiches, Succus Acaſſiæ & Hypociſtidis, Bolus Armena, Sumach, Semen Thalictri, ab Authoribus commendantur; tandem poſt purgationes iteratas adhibeantur Narcotica, miros effectus præſtant, nam ſpecifica virtute quâ pollent tormina, & frequentes dejectiones ſemper Dyſenteriam comitantia ſedant. Ideò concludimus

Ergo Dyſenteriæ Narcotica.